

... , ut in Ninivitis. Qui ergo libere ponit actum præceptum a lege, adimplet intentionem, & finem intrinsecum legis, quod sufficit ad satisfaciendum legi, aut præcepto; licet alias ob circumstantiam vitiosam non obtineatur finis extrinsecus legis, non necessarius ad ejus adimpletionem.

167. Inq. 4. An peccet contra legem, qui impedimenta ad eam observandam voluntarie apponit? vel apposita non removet, dum commode, & sine gravi damno potest? R. affirm. quia Legislator, qui mandat finem, etiam jubet apponi media ad talem finem necessaria; sed non apponere impedimenta, vel ea remove, cum commode possit, sunt media necessaria ad finem: ergo, qui ponit impedimenta, vel ea non removet, si commode possit, peccat contra legem. Unde, qui se inebriat, prævidens se hominem occisurum, peccat etiam contra justitiam, & præceptum prohibens homicidium: qui cum facile possit, non curat absolvi ab excommunicatione tempore, quo constat præceptum communionis Paschalis, peccat contra illud. Similiter, qui vacat ludis, vel studio tempore, quo audire sacrum, vel officium recitare reperitur, non excusatur a peccato. Idem dicimus de Clerico ejiciente breviarium in mare tempore navigationis.

168. Sed notandum est, quod licet Clericus, projiciens breviarium in mare, violat legem recitandi non solum in ipsa projectione, sed etiam in omissionibus tota navigatione secutis; attamen si vere, & ex corde peniteat, jam non peccat in ulterioribus omissionibus, quia licet infuit phisice in illas, non vero moraliter: quia recitatio non est illi moraliter possibilis, cum non habeat aliud breviarium, ut supponitur. Et idem philosophandum est circa alia similia, ut circa infirmitatem voluntarie assumptam, & laborem non necessariam causam effugiendi præceptum.

C A P U T I V.
De subjecto, & materia legis humane.

H Abita notitia de natura legis, de potestate illam ferendi, & obligatio-

ne, quam inducit, sequitur nunc agendum de subjecto, & materia in quibus suam vim exerceat.

P U N C T U M I.

De subjecto legis humane.

169. Inq. 1. An Princeps teneatur suis legibus? Tria supponimus 1. quod in lege datur vis directiva, quæ respicit culpam, & coactiva, quæ applicat pœnam. 2. Quod materia legis quandoque est communis tam subditis quam principi; quandoque solis subditis conveniens. 3. Quod Legislator aliquando est Princeps supremus habens regimen monarchicum, & de isto est difficultas; nam ceteri requirentes assensum Procetum, vel Communitatis ad condendam legem, abs dubio tenentur, sicut alii subditi, suis legibus obedire; etiam quoad vim coactivam; quia est pars, licet spectabilior, Communitatis: quibus suppositis.

170. Resp. Principem supremum teneatur quoad vim directivam, non coactivam, legibus a se latis, quarum materia etiam ipsi congruit. Prob. 1. ex D. Ambrosio lib. 5. epist. 3. ad Valentin. Imper. dicens: Quodcumque præcepisti aliis, præcepisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Prob. 2. ex D. Thom. 1. 2. q. 96. arr. 5. ad 3. ubi postquam retulit textus juris Canonici, & ex Evangelio, concludit: Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non est solutus a lege quantum ad vim directivam ejus. Tenetur igitur legibus suis Princeps, quoad conscientiam: ita ut si illas violat sine dispensatione justa in materia gravi, peccet graviter.

171. Prob. ratione: quia Princeps subicitur huic obligationi jure naturali; & quia enim naturalis, & munus Principis postulat conformitatem inter caput, & membra ejusdem corporis, ut aliud doceat verbo, & aliud exemplo: ergo tenetur, sicut subditi, quoad vim directivam ad leges a se latis. Non vero subicitur illis quoad vim coactivam, quia nemo potest cogere se ipsum, ut ait D. Th. loco citato: omnes vasalli a fortiori tenentur legibus sui Principis quoad utramque vim directivam, & coactivam.

172. Inq. 2. Qui teneantur legibus summi Pontificis in materia spirituali? R. omnes Christi fideles pro toto orbe terrarum. Unde hæretici obligantur legibus ecclesiasticis, & peccant transgressores earum, quia hæretici velint, nolint, sunt subditi Pontificis: per baptismum enim ingressi sunt ecclesiam, ejusque membra effecti, subindeque legibus ecclesiasticis astringuntur: Ex quo plane infertur Matrimonia contracta ab hæreticis cum impedimento dirimente, etiam jure ecclesiastico, esse nulla, & invalida. Unde si ad veram fidem convertantur, illorum Matrimonia sunt renovanda, impetrata prius legitima dispensatione. Nec valet dicere, quod hæretici resistunt ecclesie, Pontifici, ac ejus legibus, quia non resistunt jure, sed tantum facto: quo efficiunt graviora sua peccata. Ut dicitur Cap. ult. de consuetud.

173. Ex opposita ratione Judæi, Sacerdotes, Pagani, & Cathecumeni non obligantur legibus Ecclesiasticis, ut patet ex cap. Gaudemus de divort. ubi allegatur illud Apostoli. 1. ad Corinth. 5. 12. Quid enim mihi de his, qui foris sunt judicare? Si vero Judæi, alii infideles subsint potestati temporali Ecclesie, ut accidit Romæ; tunc obligantur servare leges, ipsis impositas; non minus, ac tenentur obedire legibus alterius Principis secularis, in cujus territorio morantur.

P U N C T U M II.

An Religiosi exempti teneantur legibus, aut statutis Synodalibus?

174. Inq. 1. Quid, & quotplex sit exemptio? R. est educio, seu liberatio alicujus de potestate alterius. Est duplex, nempe personalis, & localis. Illa afficit personam ubique; ista vero locum. Regulares autem exemptos utraque gaudere exemptione est commune inter Authores. Nisi aliquis eorum fungatur officio Parochi; Nam eo ipso subicitur, sicut ceteri Parochi, statutis Synodalibus, & legibus Ordinarii circa munia Parochialia: tenetur etiam assistere Synodo Diocesana; ad quam exempti (Capitulo Generali subjecti) concurrere non tenentur,

ut constat ex Trident. sess. 22. cap. 2. de reformat.

175. Inq. 2. An Regulares exempti debeant observare leges, & statuta Synodalia, aut Provincialia? R. 1. debent ea observare in omnibus casibus, qui sunt expressi in jure: sic in Concilio Trident. sess. 25. de regul. cap. 12. decernitur: Ut censura, & interdicta ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & observentur. Idem, ut dies festi, quos in Diocesi sua Episcopus servandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur. Idem est de aliis casibus expressis in jure, in quibus Regulares ad eorum observantiam tenentur, & accurate observant; venerando Episcopos tanquam Principes, Patres, & Doctores Ecclesie: sunt etenim.

176. R. 2. Religiosos exemptos non teneri legibus, & statutis Synodalibus, aut Provincialibus præter casus in jure expressos. Prob. ex Cap. 1. de Privilegiis in 6. Ubi dicitur, Regulares non teneri parere Episcopis, salvo casibus aliis, in quibus jurisdictioni Episcoporum subesse canonica præcipiant instituta. Ergo ad alia statuta non tenentur.

177. Prob. ratione: quia Regulares exempti sunt a jurisdictione Ordinarii, & solum summo Pontifici, & propriis Prelatis immediate subjecti: ergo ligari nequeunt legibus Synodalibus, aut Provincialibus: cum nullum agens possit agere extra suam spheram. Confirm. 1. Quia omnes Clerici vocati ad Synodum, ubi de toto Clero agitur, tenentur adesse, ea ratione in jure assignata, quia eum tenentur legibus in ea sanctis, debent ipsarum notitiam capere, & ad alios derivare: Ergo Regulares exempti cum non tenentur adesse, signum est non ligari statutis ibi sanctis. Confirm. 2. Quia Concilium Tridentinum dicens Regulares exemptos teneri ad observandum censuras, & festa Synodalia; eo ipso iudicat eos liberos a ceteris statutis Episcopalis in jure non expressis; si enim iudicaret illos ad omnia teneri, superfluum foret præcipere eis observantiam duorum: ergo non tenentur ad alia in jure non expressa; sicut a simili, quia

idem Concilium sess. 23. cap. 15. de re-
form. decrevit, quod regulares teneantur
se presentare Episcopo pro audiendis con-
fessionibus secularium, eo ipso non teneantur
presentare se pro audiendis confessionibus
Regularium ex vi Concilii.

178. Objicies: Regulares exempti sunt
partes, & membra communitatis Dio-
cesanae: ergo saltem ex hoc principio
naturali tenentur quoad vim directivam
observare sicut aliae compartes leges, &
statuta Synodalia: hoc enim postulat uni-
formitas partium. Resp. Quod non omnia
membra habent eundem actum, ne-
que partes heterogeneae petunt uniformi-
tatem: immo non possunt illam habere:
alias essent homogeneae, hoc est, ejus-
dem rationis, aut muneris. Civitas au-
tem, seu Dioecesis est corpus heteroge-
neum constans partibus diversae rationis,
& officii, ut sunt Regulares, & secula-
res nobiles, & plebei. Et licet Regula-
res, praesertim Reformati, abstineant
perpetuo a carnibus, & saeculares illis
laute vescantur, nihil deforme notatur
in corpore. Idem cernitur in nobili, qui
liber est a lege tributorum, quibus ple-
bei gravantur: non alia ratione, nisi
quia nobiles sint exempti; igitur cum
Regulares sint exempti a legibus Synoda-
libus, neque quoad vim directivam illis
astringuntur.

179. Maxime cum Regulares teneantur
ex vi sui status ad proprias leges,
& alia onera graviora, ut ad jejunia, &
alias observantias, propter quas merito
concessa est eis exemptio a statutis sy-
nodalibus, ut obediant mandatis Summi
Pontificis, & suorum Praelatorum, con-
formantes se, non in his, quae sunt pec-
uliaris Dioecesis, aut Civitatis, sed in
eis, quae omnibus fidelibus sunt commu-
nia, ut membra nobiliora Ecclesiae. Ne-
que utuntur sua exemptione cum scanda-
lo, aut offensione aliorum: tum, quia
nobilibus absque ullo scandalo utitur sua
libertate a fraudis, & lege tributorum,
idem est de privilegiato: tum quia Re-
gulares optime norunt monitum Aposto-
li ad Titum: *in omnibus te ipsum praebere exemplum bonorum operum.* Sed aliud
est non teneri ex vi strictae obligationis, &
aliud ratione decentiae, aut consuetudi-
nis, si alicubi viceat: Vide Bened. XIV.

de Synod. Dioec. lib. 13. c. 4. n. 6.

PUNCTUM III.

An Clerici teneantur observare leges
civiles?

180. Supponimus 1. Clericos jure di-
vino esse exemptos a potestate seculari
quoad ea, quae spiritualia, & mere eccle-
siastica sunt: quia a Christo Domi-
no est in Ecclesia potestas independens
a seculari ad omnes causas, quae ad re-
gimen ecclesiasticum pertinent. Supponi-
mus 2. Ecclesiasticos gaudere privilegio
fori, quod in quatuor consistit. 1. quoad
ad loca: quod videlicet Ecclesiae gaud-
ent immunitate a seculari justitiae per-
turbatione. 2. Quoad personas, quae etsi
delinquant contra leges civiles, puniuntur
tantum a Judice Ecclesiastico, non
vero a seculari. 3. Quoad bona tempo-
ralia, sive Ecclesiastica, sive patrimonialia,
quae libera sunt a tributis, &
oneribus civilibus. 4. Quoad causas, &
controversias, ut non trahantur ad tribu-
nal seculare.

181. Haec amplissima privilegia, &
immunitates, licet a pluribus judicentur
convenire Ecclesiasticis immediate a Deo
verius tamen sentiunt alii, Clericos illis
gaudere pia liberalitate Principum Chri-
stianorum, fundata in aequitate natura-
li: ita D. Thom. ad Rom. 13. lect. 1. ad
illud: *Ideo tributa praestatis*: inquit, *ab
hoc tamen debito liberi sunt Clerici ex
privilegio Principum, quod quidem aequi-
tatem naturalem habet.* Quibus verbis do-
cet immunitatem Clericorum non esse
immediate de jure divino, sed ex Prin-
cipum privilegio; quod valde consonum
est rationi, & aequitati naturali. Tum
propter dignitatem status Ecclesiastici:
tum quia Clerici sunt Doctores, & Pasto-
res secularium.

182. Supponitur 3. Nomine Clerici
comprehendi in praesenti omnes Religio-
sos: quia omnes aequo gradu potiuntur iis-
dem privilegiis, unde sentire debent idem
commodum, vel incommodum.

183. Dicendum est 1. Clericos teneri
quoad vim directivam ad observandas leges
civiles, quae non dissonant statuti Cleri-
cali, aut immunitati Ecclesiasticae: Hec

re-

resolutio est communior inter Doctores,
sed variant in assignando originem hu-
jus obligationis; & ratio illius congru-
entior est hujusmodi: Nam leges civi-
les, quae non dedecent statuti clericali,
nec laedunt immunitatem Ecclesiasticam,
approbantur per Canones, & recipiuntur
ab ipsa Ecclesia: ergo obligant Cleri-
cos quoad vim directivam. Antecedens
patet ex Cap. 1. de novi oper. nuntiat.,
ubi dicitur: *sicut leges non dedignantur
sacros Canones imitari, ita sacerdotum
statuta Canonum Principum constitutionibus
adjuvantur.* Illis videlicet, quae commu-
nem concernunt reipublicae utilitatem,
neque sacris Canonibus, aut immunitati
Ecclesiasticae repugnant.

184. Prob. etiam ex cap. innotuit de
Arbitr. Ubi non solum causa Canonica
secundum leges deciditur; sed etiam pri-
or sententia ab ecclesiasticis iudicibus
non secundum leges lata, nulla denun-
ciatur: quod aperte supponit leges in eo
casu obligare. Idem probant etiam de-
creta sacrorum Canonum, ut in Cap. de
Capitulis. Dist. 10. & in Cap. Quoniam:
Ergo Clerici tenentur ad servandas leges
Civiles quoad vim directivam, quo-
ties non repugnant immunitati Ecclesi-
asticae, ex eo, quod per sacros canones
approbantur, & quasi canonizantur quoad
hunc effectum. Sed hoc intelligendum
est de legibus in communi loquentibus:
abstrahendo a Clericis, & laicis, nam
si determinate disponat circa res, aut
personas Ecclesiasticas, tunc approbatae
non sunt ab Ecclesia, & sic non obli-
gant. Nec similiter leges municipales,
seu statuta oppidorum particularium, ni-
si adsit consuetudo in contrarium, quia
non sunt leges communes, nec approba-
tae a Pontifice.

185. Ex dictis sequitur, quod si Cleri-
cus agat contra leges Civiles peccat
graviter, & tenetur restituere, si quid
contra illas accepit, ut si vendit triti-
cum, oleum, aut vinum ultra pretium
a lege taxatum. Tenetur etiam observa-
re leges circa aedificia hoc, vel illo modo
construenda, quod testamenta tali for-
ma conficiantur, quod haeredes sic, vel
sic constituantur, quod arma vetita non
portentur, & alia hujusmodi, quae dig-
nitati Ecclesiasticae, aut immunitati non

contradiciunt, sed potius congruunt, cum
sint rationi naturali conformes. Nam
Clericus non desinit esse cives, & va-
sallus Regis, ex eo quod sit clericus; imo
Clerici saeculares, & Regulares debent
esse, ut generaliter sunt, vasalli fide-
les suo Principi.

186. Dicendum est 2. Clericos non te-
neri ad observandas leges Civiles quoad
vim coactivam, hoc est, non teneri ad
poenam in eis taxatam, quia quoad hanc
partem non sunt approbatae sacris Ca-
nonibus, immo sunt reprobatae: ac pro-
inde, si Clerici transgressores fuerint le-
gem civilium, poterunt puniri a Judice
Ecclesiastico, minime vero a seculari; is-
te enim non habet potestatem jurisdic-
tionis coactivam in Clericos.

PUNCTUM IV.

Quomodo Pueri, & Amentes teneantur
legibus humanis?

187. Inq. 1. Quibus legibus teneantur
pueri, & amentes? R. Nullum excusa-
ri, ut non comprehensum in lege natu-
rali, & divina. Nam istae obligant ex
natura sua omnes absque ulla limitatio-
ne, excusantur tamen a culpa, qui ob
defectum usus rationis, amentiam, ob-
livionem, aut ignorantiam invincibilem,
non habent sufficientem advertentiam, &
libertatem circa talia pracepta. Ex quo
fit, peccare graviter consulentem, aut
ministrantem ipsis in actionibus prohibi-
tis, quamvis illi a culpa excusentur, il-
las efficiendo: unde eos movere, aut
concitare ad blasphemandum, perjurandum,
alios laedendum, aliamve actionem
turpem, aut malam objective, erit pec-
catum mortale.

188. E contra, si a lege non com-
prehendantur, non erit illicitum eos pro-
vocare ad actiones alias transgressivas le-
gis. Unde non peccas, in die jejunii pue-
ris coenam ministrando, aut ipsis ante
usum rationis, carnes: quia non con-
curris ad opus, quod eis sit prohibitum,
& sicut ipsi non peccant, nec materiali-
ter, nec aliquid, quod sit objective ma-
lum, efficiunt, ita nec tu illud volendo,
vel in tali actione ministrando.

189. Itaque pueri post usum rationis

te-

tententur observare leges Ecclesiasticas, & peccant graviter illas transgrediendo, sicut puberes. Unde parentes si non moneant de tali obligatione, aut si carnis vesci, vel Missam non audire permittant, rei sunt ejusdem peccati: quia puer post usum rationis capax est obligationis humanæ, sicut est capax obligationis divinæ naturalis: ergo quando lex absque exceptione, aut designatione temporis profertur, censetur velle eos comprehendere. Et sic de præcepto confessionis annuæ adest expressum in *cap. Omnes utriusque sexus*. Ubi præcipitur omnibus fidelibus, cum ad annos discretionis perveniunt, confiteri. Circa præceptum vero communionis relinquuntur tempus assignandum prudentiæ Parochi. Usus autem rationis regulariter, expleto septimo anno, advenire judicatur. Sed in dubio an venerit, judicandum est, advenisse, illo impleto, & non advenisse, si ad septimum puer non pervenerit.

190. Diximus, pueros teneri legibus Ecclesiasticis post usum rationis, quod intelligi debet quoad vim directivam, seu per obligationem ad culpam gravem; nam quoad vim coactivam, seu ad poenam in lege taxatam non vult Ecclesia eos cogere; unde si præceptum ponitur sub poena excommunicationis, aut alterius censuræ, pueri ante pubertatem violantes illud, non incurrunt censuram, & merito, quia pueri potius verberibus, quam censuris puniendi sunt. Excipe censuram latam ob percussorem Clerici, quam incurrit quilibet habens usum rationis, quamvis semper ab Episcopo absolvi possit, ac illam, quæ adest contra ingredientem clausuram Monialium.

191. Inq. 2. An amentes legibus teneantur? R. sub distinctione: Nam illi, qui in quadam sola materia tales sunt, legibus astringuntur in cæteris, in quibus sui compotes existunt; & idem est de patientibus lucida intervalla; qui non excusantur a legum observatione tempore serenitatis, licet quoad poenas eis applicandas majori semper commiseratione digni sunt, ob læsionem organi, & debilitatem phantasie, & rationis.

192. Sed perpetuo amentes perpetuo sunt excusati, sive comprehendantur sub lege, ut aliqui volunt, sive non, ut

alii sentiunt, quod parum refert ad intentum. Omnes enim convenire debent in eo, quod non teneantur observare leges humanas, nec sit illicitum ministrare illis carnes, & lactinia in diebus abstinentiæ, aut coenam in die jejunii: sunt enim perpetuo infirmi. Omnes etiam consentiunt, quod non liceat illos post septennium, sicut nec infideles adultos ad monasteria Monialium introducere. Et quamvis doceant communiter Doctores, & cum illis Concina in præsentia, ante id tempus non esse hoc illicitum; nos vero illicitum dicimus; quia nec Bulla prohibens distinguit tempora, nec ex tali ingressu quidquam utilitatis, sed aliquid mali, vel periculi Religionis, aut particularibus evenire possit.

PUNCTUM V.

De Legibus, quibus adstringuntur Vagi, Peregrini, & Advena.

193. Inq. 1. Qui dicantur vagi, peregrini, & advena? R. Vagi sunt, qui nullibi domicilium habent: peregrini, qui discedunt a proprio loco animo redeundi ad eum domicilium: advena, qui uno loco habent domicilium, & in alio ad tempus habitant, ut Scholastici in Universitate.

194. Inq. 2. An vagi teneantur legibus locorum, per quæ transeunt? R. affirm. Quia cum non habeant domicilium fixum, ibi sortiuntur forum, ubi reperiuntur; alias exleges, vel sine lege essent. Idem est de peregrinis, & advenis cum accedunt ad aliquem locum animo ibi permanendi perpetuo. Statim enim teneantur legibus talis loci; quia jam non peregrini, & advena, sed incolæ sunt illius loci.

195. Similiter, qui animo ibi manendi majori parte anni ad aliquem locum accedunt, ut Scholastici ad studia, vel mercatores ad sua negotia, teneantur legibus, & consuetudinibus illius loci, quia acquirunt quasi domicilium, sortiunturque forum, & Parochiam ejusdem loci.

196. Inq. 3. An quando leges eadem sunt in proprio loco, ac in alio, quo accedunt, peregrini, & advena eisdem adstringantur. R. affirm. Quia nulla adest

ratio illos excusandi, cum in suo loco eadem datur lex, quæ velut in alio continuatur.

Nemo ambigit advena, & peregrinos teneri legibus locorum circa omnes contractus, eorumque conditiones, & solemnitates, & etiam ad leges latas in commodum illius loci, ut si disponant, ne merces, triticum, aut arma ex loco extrahantur, sive ne peregrini ultra tot dies ibi commorentur, aliter non posset populus se defendere, aut gubernare. Idem de solutione tributis, aut gabelle; si quæ imposita sunt pro transeuntibus, aut vendentibus, vel ementibus.

197. Inq. 4. An advena, & peregrini, qui transeunt, vel perveniunt ad locum, ubi per unum, aut duos dies morantur, teneantur legibus illius loci? R. affirm. Prob. autoritate D. Ambrosii apud S. Augustinum *Epist. 118.* quæ refertur in *cap. illa. dist. 20. Cum Romam venio sabbatum jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno: sic, & tu ad quancumque Ecclesiam veneris, ejus morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quemquam tibi.* Unde dicit Glossa citato *cap. ortum* duxisse illum versiculum: *Dum fueris Romæ, Romano vivito more. Cum fueris, alibi, vivito sicut ibi.*

198. Deinde prob. ratione: Quia leges immediate efficiunt locum, seu territorium, & ratione illius personas ibi existentes, ad instar interdicti localis: ergo hoc ipso peregrinus, & advena teneantur legibus illius loci, per quem transeunt. Unde transgressor talium legum potest puniri a Legislatore, vel iudice ejusdem loci.

199. Objic. 1. in *cap. Anobis. de sent. excom. decernitur*: Non subijci censuræ advena, & peregrinos, quia non obligant nisi subditos. ergo. R. in dicto *cap. sermonem esse de sententia, aut præcepto*, quod solum ligat subditos, non vero de lege, quæ ad omnes, qui in loco sunt, extenditur: nam ut diximus, afficit immediate locum. Præceptum autem solum respicit personas.

200. Objic. 2. Sacerdotes græci transeunt per Ecclesias latinam possunt celebrare modo proprio suæ patriæ: ergo non teneantur ad leges proprias alterius Ecclesiæ. R. Concilium Florentinum ad

pacem utriusque Ecclesiæ: melius fovendam indulgisse, imo, & jussisse Latinis, & Græcis celebrare ubique juxta morem suæ Ecclesiæ, sed hoc non probat intentionem argumenti. *201. Objic. 3.* Episcopus non potest ordinare, aut confirmare dictos peregrinos, transeunt per suam Diocesim, nec illorum vota, aut juramenta dispensare: ergo neque illos ligare legibus suis municipalibus: quia si non habet jurisdictionem ad illa munera, neque ad inducendam obligationem per suas leges: ergo quoad leges Synodales tales peregrini erunt immunes. R. Peregrinos, & advena, si per unum diem in aliquo loco commorentur, teneri legibus, præceptis, & consuetudinibus talis loci, non solum civilibus, sed etiam Episcopalibus: & ratio est, quam supra dedimus, quia leges immediate efficiunt locum, & consequenter personas morantes in tali loco: at vero, ut Episcopus possit obire illa munera in argumento nominata, insuper, requiritur domicilium, aut quasi domicilium, & neutrum habent peregrini, solum per unum, aut duos dies in loco commorantes.

202. Ex dictis inferitur, quod advena, & peregrini, dum transeunt per locum, ubi dies festus est, ad alium, ubi non est dies festus, expectare ad Sacrum audiendum non teneantur, licet ibi se detineant, ut equo pabulum, aut sibi cibum sumant, præciso scandalo. Teneantur vero audire Sacrum, si in eodem pernoctarunt, & commode possunt, aut si festum sit in toto territorio, quod percurrere usque ad meridiem debent. Præcepta vero negativa, ut abstinentiæ carnis, sive impleri debent, quia hæc nullam exposcunt moram, nec iniquam.

203. Inq. 5. An peregrini, & advena teneantur servare leges suæ patriæ, a qua absunt? R. negat. Est expressum *cap. ut animarum, de constit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. hæc decernit: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserunt, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, extra Diocesim existentes, minime obligari noscuntur, cum extra territorium, jus dicenti non pareatur impune.* Et ratio est, quia leges, ut diximus supra, efficiunt locum,

cum, & ratione illius personas: ergo dum peregrini sunt extra suam patriam, non subijciuntur legibus illius. Excipiuntur duo casus, in quibus tenentur legibus suae patriae. Primus est, si ibi delinquant per se, vel per mandatum, vel si aliquid facere intra territorium teneatur, & non fiat: qua ratione Clerici tenentur obedire Episcopis praecipientibus existentiam in propriis Ecclesiis, etiamsi extra Dioecesim degant: & excommunicationi subiacebunt, si ab illo imposita sit, quia delictum, nempe non assistentia, intra Dioecesim consumatur. Secundus est, ratione rei sitae intra territorium, ut si in patria sit lex, ne vendatur domus, aut ager, nisi sub tali forma, aut solemnitate, ad talem legem obligaris, licet extra patriam existas, quia ratione rei sitae sortiris forum illius loci.

204. Inq. 6. An si quis discedat a proprio loco, in quo est dies festus, ad alium, in quo dies festus non est, teneatur prius audire Sacrum, si commodum potest? R. affirm. Quod etiam intelligitur de peregrino, pernoctante in tali loco, licet iste non teneatur expectare Missam per notabile tempus: non enim lex municipalis obligat immorari, ibi transeuntes; sed si ibi morentur, adimpleant legem. Unde minor causa sufficit in peregrino, vel transeunte, quam in cive, vel incola, ut discedat ante auditionem Sacri.

205. Si quis exeat a loco proprio, ubi viget praecipuum jejunii, ad alium ubi non viget, debet in primis abstinere a carnibus, quod est apud omnes certum: deinde dicimus, ut probabilius, non posse sumere jentaculum, nisi labor, aut alia justa causa illum excuset; quia antequam exeat, ligatur praecipuo jejunii. At si in loco, ubi non obligat jejunium, maneant quis usque ad quartam, vel quintam horam vespertinam, poterit ibi vesci carnibus; sed cum venerit ad locum, ubi observatur jejunium, non valet coenare, nec carnibus vesci. E contra, si in loco, ubi non viget jejunium, fuisti primo mane, & reliquum tempus ubi obligat, debes jejunare toto die, nisi rationabilis causa te excuset.

206. Inq. 7. An sit licitum discedere a proprio loco, ubi obligat praecipuum

jejunii, auditionis Sacri, vel alterius similis animo deliberato effugiendi obligationem harum legum? R. negat. Quia nemini sua fraus patrocinari debet, qua ratione Urbanus VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem in suo Brevis declaravit: nullum esse matrimonium illorum, qui, animo contrahendi matrimonium clandestine absque domicili mutatione, eo se transferunt, ubi Synodus Tridentina non viget; eo quod fraus, & dolus nemini favere debeant. Similiter Clemens X. in sua Bulla Superna. 21. Junii ann. 1670. prohibet, ne Regulares absolvant advenas, & peregrinos a peccatis reservatis in sua Dioecesi, e qua discedunt, animo obtinendi absolutionem in alia Dioecesi, ubi non sunt reservata.

PUNCTUM VI.

De materia legis humanae.

207. Inq. 1. Quae sit materia legis humanae? R. Sunt actus humani, qui praecipit, aut vetari possunt, secundum quod expedit bono communi. Valet autem lex humana praecipere, aut vetare etiam ea, quae lex naturalis, aut divina non praecipit, nec prohibet, ut patet in conditionibus matrimonii, & aliorum contractuum. Non tamen potest praecipere actus heroicos, nisi raro, vel ex aliqua suppositione, ut castitatem perpetuam eis, qui volunt in Sacris ordinari.

208. Inq. 2. An lex humana possit praecipere omnes actus virtutum, aut prohibere omnia vitia collective? R. neg. Quia lex humana non debet esse nimis onerosa, nimis autem onerosus est omnia vitia collective vitare, aut omnes virtutes exercere. Dices. Lex naturalis, & divina omnia vitia collective prohibet, omnesque virtutes praecipit: ergo idem poterit efficere lex humana. R. neg. conseq. Quia Legislator divinus simul cum legibus praestat vires, & auxilia ad eas servandas, quod non valet facere Legislator humanus.

209. Inq. 3. An actus indifferentes praecipit, aut vetari possint? R. Secundum se nulli legi subijciuntur, quia prout sic, nec sunt humani, sed in individuo, aut deliberati possunt praecipit,

aut

aut vetari, quia sic jam sunt humani. Unde licet exire in campum, vel deambulare sint actus secundum se indifferentes; prohibitio illorum potest conducere ad finem Legislatoris, & tunc gravitas transgressionis ex fine intento a Legislatore venanda est.

210. In his, quae dicta sunt, conveniunt lex canonica, & civilis; differunt vero ex parte materiae. 1. quia materia legis canonica est spiritualis concernens modum efficiendi reverenter Sacramenta, regimen Ecclesiae, & bonum spirituale animarum. Materia autem legis civilis est temporalis, ut ex se patet. Ex quo differunt 2. quia materia canonica est praestantior, quam civilis; spiritus enim praestantior est corpore. 3. in eo, quod transgressiones legis civilis considerantur, & puniuntur, ut delicta contra humanam justitiam: transgressiones vero legis canonicae, ut peccata praecipue contra Deum, ejusque cultum, & religionem.

PUNCTUM VII.

An actus interni sint materia legis humanae?

211. Quae hanc praecipue militat circa potestatem canonicam, seu ecclesiasticam, ut quae ad altiorem finem proxime ordinatur, ideo de ista potius, quam de civili sermo erit in praesenti, licet quod de una dictum fuerit, alteri applicari poterit.

212. Inq. 1. An Legislator humanus possit praecipere, aut prohibere directe actus mere internos? R. neg. Ita D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. & alibi. Prob. ratione D. Thomae: De his tantum potest lex ferri, de quibus Legislator potest judicare; sed de actibus pure internis nequit Legislator humanus judicare, cum sint per se occulti, omnino insensibiles, & nullo modo probabiles: ergo nequeunt praecipit lege humana, nec prohiberi. Unde in cap. tua nos. De simonia, dicitur: Nobis solum datum est de manifestis judicare.

213. Confirmatur: Quia, ut docet D. Thomas loco proxime citato, mensura debet esse conformis mensurato; sed lex

est mensura actuum, quos praecipit: ergo sicut ipsa est sensibilis, & externa, ita etiam actus imperati per ipsam debent esse externi, & sensibiles.

214. Objicies 1. Superior ecclesiasticus recipit potestatem judicativam a Christo Domino, qui non solum in actus externos, sed etiam in internos habet jurisdictionem, quam tradidit Ecclesiae per illa verba Math. 16. Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata & in caelis: quae universalis sunt, ergo poterit legem ferre, & judicare actus mere internos.

215. R. Probare argumentum potuisse Christum Dominum talem potestatem suis ministris tribuere; ceterum non probat, ita de facto tribuisse: solum enim constat, Ecclesiam uti tali potestate in ordine ad gubernationem externam, quod signum est nequitiam esse necessariam ad regimen Ecclesiae: nam licet ejus potestas spiritualis sit, residet tamen in hominibus, qui sensibiles sunt, & sensibili modo operantur. Quapropter licet Christus Dominus potuerit instituire sacramenta in rebus spiritualibus, congruentissime tamen ea instituit in rebus sensibilibus, quia Ecclesia sensibilis est, & sensibilibus gubernatur.

216. Objicies 2. in Clement. de haereticis §. verum. Excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore aliquid faciunt, vel facere omittunt. Et Canon: si quis, distinct. 30. ex Concil. Granatensi cap. 8. Anathematizatur, qui jejunat in die Dominica in contemptum hujus diei; sed amor, odium, & contemptus sunt actus mere interni: ergo potest Ecclesia praecipere actus mere internos.

217. R. In exemplis appositis, & aliis similibus, quae opponi videntur, non incurri censuram, nisi actus internus aliquo signo exteriori manifestetur, & fiat sensibilis per actum externum. Et addimus, quod dicti actus exteriores, & alii similes possent optime prohiberi, ex quo cumque animo fierent, & eo ipso indirecte prohibetur actus interior amoris, & odii: unde prohibere actus exteriores ex hoc animo procedentes, potius est restrictio, quam extensio potestatis: ut certitur, quando in lege apponitur: Si quis suadente Diabolo: si quis scienter: si quis

quis temerarie: vel ex contemptu, hoc aut illud operetur, sit excommunicatus.

218. Objic. 3. Ex P. Concina tom. 6. pag. 234. n. 16. Ubi deserens communior sententiam Thomistarum, & asserens, quod Legislator ecclesiasticus potest lege directiva præcipere actus mere internos in casibus, in quibus expediens judicaverit id opportunum esse ad salutem æternam, dicit: *Confirmat hæc omnia Ecclesie mos, seu praxis, qua non raro interiores actiones modo præscripsit, modo vetavit. Innocentius XI. hanc propositionem, quæ in ordine 10. est, proscripsit: Non tenemur proximum actum interno diligere.*

219. R. verbis ipsius P. Concina eodem loco num. 20. qui primo dicit: *Dissidium potius de voce, quam de re est.* Deinde concludit: *Verum si res penitus inspiciatur, vix quidquam Ecclesia præcipit, quod non sit cum exteriori regimine aliquo modo conjunctum.* Sane debuit Concina rem penitus inspicere, priusquam suam sententiam aperiret, illamque cum more, & praxi Ecclesie confirmaret. Si vix quidquam Ecclesia præcipit, quod non sit conjunctum aliquo modo cum exteriori regimine; ubinam Ecclesie mos, & praxis in oppositum? Si autem dissidium potius est de voce, vox D. Thomæ, ejusque Scholæ præ alia extranea auscultari meretur.

220. Igitur respondemus, morem, & praxim Ecclesie semper fuisse in suo regimine gubernare modo humano, & sensibili in foro externo, nec unquam, quod sciamus, actum mere internum præcepit, vel prohibuit. Nam si aliquem prohibere opportunum esset, ut cogitat P. Concina, maxime hæresis interna, vel simonia mentalis, quas hucusque Ecclesia non proscripsit speciali præcepto: licet eas maxime perhorrescat. Justissime autem proscripsit decimam propositionem continentem doctrinam falsam circa actum internum dilectionis proximi, declarando omnes teneri præcepto divino diligere proximum, non solum per actum externum, sed etiam internum. Idem potest dici de actibus fidei, & aliis similibus; Sed aliud est declarare, aliud præcipere.

221. Inq. 2. An Legislator humanus

possit præcipere per se actus internos, connexos cum externis tanquam forma, causa, pars, vel effectus eorum? R. affirm. Quia Legislator præcipit, aut prohibet per se actus humanos; erg. præcipit per se quidquid requiritur ad hoc, quod actus sit humanus; sed ad hoc, quod actus sit humanus, requiritur actus internus: ergo æque præcipitur, dum præcipitur actus humanus. Unde cum Ecclesia præcipit recitare officium divinum, non præcipit tantum sonitum vocis ad instar volucrum, sed vocem humanam, compositam ex pronuntiatione, & ex attentione, vel saltem intentione; ergo præcipiens per se hoc compositum humanum, æque præcipit partes ejus, nempe actum internum, & externum: idem est in auditione sacri, & aliis.

222. Similiter Legislator humanus potest præcipere per se actum internum, alias non connexum per se; sed per accidens cum actu exteriori, quando præcipitur, ut finis intentus ab ipso Legislatore: quia tunc est pars præcepta talis actus interior, & alias maxime expediens ad suum regimen, & bonum commune: Ut cum Superior præcipit jejunium, aut preces fundere ex fine placandi Deum, vel obtinendi pacem: tunc iste finis cadit sub præcepto, ergo etiam intentio ejus, qui est actus internus. Et universaliter ex quocumque motivo honesto præcipiatur, aut prohibeatur actus externus, indirecè præcipitur, vel prohibetur actus interior. Ut quando in *Clement. 1. de Statu Monach.* excommunicantur Benedictini, accedentes ad Curiam, animo accusandi Prælatum. Ubi animus internus, accidentaliter conjunctus cum accessu externo ad Curiam, prohibetur, & punitur a lege ecclesiastica.

223. Inq. 3. An Legislator humanus possit prohibere actus exteriores occultos, qui probari non valeant? R. affirm. Quia tales actus licet per accidens sint occulti ob defectum testium; per se tamen, & ex natura sua manifesti sunt: ergo possunt præcipi, vel prohiberi. Quæ ratione incurritur censura, & irregularitas pro hujusmodi actibus externis, quantumvis occultis.

224. Objic. Non potest Legislator prohibere, quæ non potest judicare: ergo.

R.

R. Distinguendo antec. non potest prohibere, quæ non potest judicare per se, concedo: quæ non potest judicare per accidens, nego. Itaque actus mere interni non possunt judicari per se a Legislatore humano, quia ex natura sua sunt occultis; e contra vero actus externi per se possunt judicari, quia sunt sensibiles, licet per accidens deficiat probatio testium.

CAPUT V.

De cessatione, & interpretatione legis.

PUNCTUM I.

Da legis cessatione.

Inq. 1. Quot modis possit cessare lex? R. Quatuor modis. 1. Per cessationem causæ finalis. 2. Per abrogationem. 3. In parte per interpretationem. 4. Denique per dispensationem. Sed quia dantur speciales difficultates circa dispensationem, eam remittimus ad caput sequens, & in hoc de reliquis agemus.

225. Inq. 2. Quotplex sit finis legis? R. Est duplex, alius *intrinsicus*, alius *extrinsecus*: finis *intrinsicus* est honestas actus, dum versatur in materia virtutis: Ut in jejunio honestas temperantia. Finis *extrinsecus* est, qui per materiam præceptam intenditur a Legislatore: Ut si per jejunium intendat placare Deum. Finis *extrinsecus* est etiam duplex: alius *generalis*, ut facere bonos, quod est proprium omnis legis; sed de isto non loquimur in presenti, quia non cadit sub lege. Alius est finis *extrinsecus particularis*, qui per se intenditur, & exprimitur a Legislatore, ut in exemplo jejunii pro Deo placando. Hic finis cadit sub præcepto, & potest esse unus tantum, vel plures; si plura intenduntur, & tunc finis adequatus ex omnibus coalescit.

226. Inq. 3. Quot modis valet cessare finis legis? R. Dupliciter; *negative*, nempe si observatio legis reddita est inutilis: vel *contrarie*, scilicet cum observatio legis esset nociva, & perniciosa. Potest etiam finis cessare in *communi*, hoc

Tom. I.

est pro omnibus; vel in *particulari*, hoc est in tali casu, vel isto homine.

227. Certum est, quod lex cessat, elapso tempore, pro quo lata est, sive sit res præcepta materia virtutis, sive alias indifferens. Pariter quando dantur plures fines a Legislatore intenti, uno durante, non cessat lex, etiam si cæteri deficiant; non enim cessat adequatus finis.

228. Inq. 4. An cessante fine legis adequato in communi cesset ipsa lex? R. affirm. Quia lex respicit bonum commune, & ad totam communitatem ordinatur: ergo si respectu communitatis deficit finis adequatus, redditur inutilis lex, ac proinde sine vigore: Unde si vovisti non ingredi talem domum, aut transire per talem locum, quia ibi est periculum lapsus, ob foemina ibi comorantem, si ipsa alibi se collocet, cessat finis, & causa talis voti, & consequenter obligatio illius: erg. idem de lege philosophandum est. Ut si lex prohibeat contrahere, vel communicare cum civibus extraneis ob inimicitias, bella, aut pestem grassantem; cessante bello, inimicitia, vel peste cessat adequatus finis illius, proindeque ipsa lex.

229. Inq. 5. An tunc lex cesset ipso facto, vel expectanda sit declaratio Legislatoris, vel contraria consuetudo? R. Legem cessare eo ipso, quod finis cesset absque declaratione Principis: Nec requiritur consuetudo contraria; sed, quod publice certo constat de cessatione finis adequati legis. Imo in exemplo voti supra posito, vel poenitentia tibi imposita, ne transeas per talem locum ob foemina ibi degentem, si certo tibi soli constet eam mutasse alio habitationem, cessavit absolute votum, & prohibitio illic transeundi.

230. Si autem dubium sit, an cessaverit finis adequatus legis, observanda est, & nisi judicetur probabiliter in communi cessasse, nemo potest contra legem agere; si vero finis legis tantum pro aliquo tempore cessat, solum pro illo tempore obligatio illius suspenditur. Denique, quando materia legis divisibilis est, & secundum unam partem redditur inutilis, debet observari secundum aliam, quæ utilis manet, licet nequeat separari.

X

Inq.

231. Inq. 6. An cesset lex, quando solum in particulari finis ejus adequatus negative, seu privative deficit? R. negat. ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ubi inquit: *Id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere.* Prob. ratione, quia vere nunquam cessat, nec cessare potest finis adequatus legis in particulari, manente lege in communi, si quidem finis adequatus legis prohibentis nocte arma ferre, non sunt rixæ, vel dissensiones de facto obventura, sed vitare periculum, quod frequenter adest in tali portatione; sed licet in hoc casu particulari non detur tale periculum, semper verificatur communiter adesse: Ergo semper remanet finis legis in suo vigore. Ideoque obligat, etiam si in casu particulari periculum non imminet.

232. Objic. 1. finis legis est ratio, & anima ipsius: Ergo cessante fine in aliquo eventu, lex moritur, & deficit. 2. cessante fine in communi, cessat lex pro tota communitate: ergo cessante in particulari, cessat pro hoc in dividuo in particulari.

233. R. Ad utramque objectionem: quod nunquam potest cessare finis legis in particulari, manente in communi: quia lex non respicit casus particulares, sed bonum commune; quo remanente semper remanet finis, & anima legis, & consequenter ejus obligatio. E contrario aperiretur latissima janua, ut unusquisque pro suo affectu judicaret finem legis, etiam divinæ naturalis, in hoc, aut in alio casu cessare, possetque ejus onus facile excutere.

PUNCTUM II.

De abrogatione legis humanæ.

234. Inq. 1. Quid sit abrogatio? R. Est abolitio obligationis legis: & dividitur in negativam, & positivam: *negativa* est, qua lex antiqua aboletur, absque eo, quod nova sanciat. Hæc potest esse *formalis*, & *virtualis*. *Formalis* est, quando lex nova expresse revocat præcedentem. *Virtualis*, quando per novam legem præcipitur aliquid incom-

possibile cum priori: idem intellige de revocatione.

235. Inq. 2. An Legislatores possit valide abrogare suam legem? R. affirm. & licite quidem, dum ita expediens judicaverit bono communi. Quia tota vis obligandi, totumque robur, quod lex habet, pendet ex voluntate Legislatoris: Ergo potest eam revocare, quando expediens judicaverit. Sed magna circumspectio procedendum est in abrogatione, revocatione, aut in mutatione legum, quia non est facienda novitas in legibus, ut inquit D. Thom. nisi propter maximam, & evidentem utilitatem, ex novo statuto provenientem.

236. Si abrogatio legis fiat per novam legem supervenientem, abs dubio requiritur eadem promulgatio, ac pro condenda lege: quia nova lex absque promulgatione non habet vim obligandi; si vero abrogatio sit pure negativa, licet expediens sit illam promulgare, tamen non requiritur præcise promulgatio: quia sic abrogare, non est condere legem, sed tollere.

237. Tunc lex generalis censenda est revocata, quando nova aliquid incompossibile jubet cum priori, licet in tali lege abrogante nulla mentio præcedentis fiat. Leges tamen particulares, seu municipales, non revocantur per generalem, nisi in ista mentio specialis illarum fiat, quia generi per speciem derogatur; sed non e contra. Et hoc tenet, etiam si addatur, *Non obstante quacumque consuetudine, aut lege particulari.*

238. Inq. 3. An inferior possit abrogare legem superioris? R. negat. Quia abrogatio legis est actus jurisdictionis, quam inferior contra statuta superioris nequit exercere. Superior vero valet quacumque legem inferioris revocare, seu abrogare, sicut Generalis præcepta Provincialis, & iste Prælati immediati mandata ex rationabili causa potest mitigare, suspendere, aut revocare; inferior potest suas leges abrogare, sicut Episcopus leges Diocesanas, quamvis confirmatæ sint, seu approbatæ a Pontifice confirmatione accidentali. Si vero approbatæ fuerint confirmatione substantiali, nullatenus poterit eas abrogare. Confirmatio *Substantialis* tunc datur, quando inferi-

or petit a superiore confirmationem suarum legum, ut eis adjiciat majorem firmitatem, & stabilitatem cum clausula prohibente earum mutationem, aut alterationem. *Accidentalis* est, quando inferior petit a superiore confirmari suas leges ad majorem splendorem, & dignitatem absque clausula inhibente variationem.

PUNCTUM III.

De interpretatione legis.

239. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit interpretatio? R. Est *declaratio verborum legis*. Dividitur in *Authenticam*, *Usualem*, & *Doctrinalem*. *Authentica* est illa, quæ fit a Legislatore exerceate munus Legislatoris. Nam talis interpretatio vere habet rationem legis, proindeque requirit promulgationem. Unde solum potest fieri ab habente jurisdictionem legislativam. *Usualis* est, quæ habetur ex communi usu, & consuetudine, & ideo usus, & praxis communis est melior interpretatio legum. *Doctrinalis* est, quæ habetur ex viris doctis, & peritis, quæ licet non habeat vim legis, si unanimiter conveniant, nequit sine imprudentia rejici, quinimmo si faveat legi, consensus eorum nequit licite postponi; si vero faveat libertati, prudenter valet admitti: cum sensus communis Doctorum maximi teneri debeat; si autem dissideant, probabilior pars est eligenda.

240. Inq. 2. An lex divina, aut naturalis possit ab aliquo authentice interpretari? R. negat, quia conditor illius est Deus, cui omnes subduntur. Eadem ratione inferiores non possunt modo dicto interpretari leges superioris. In rebus autem facillimis, & minoribus credendum est, eos tali potestate, a Superiore concessa, fungi: cum difficile sit passim recurrere ad Principem.

241. Quando Legislator prohibet interpretationem suæ legis, nemo potest illam interpretari, etiam doctrinaliter, quia talis prohibitio exposcit aliquem effectum, sed non est prohibere interpretationem authenticam: Ergo doctrinale. Ut patet in prohibitione Pii V. in Bulla confirmatoria Concilii Tridentini, qua

omnibus prohibetur, ne glossas, annotationes, scholia, ullamve interpretationem circa Concilii Decreta edere audeant.

242. Interpretationes doctrinales hæ sunt præcipue regulæ. *Prima*: attendenda est mens, & Legislatoris intentio, illa nimirum, quæ cadit sub lege: Unde si de mente Legislatoris constet, illi standum est, quamvis aliud significant verba legis. Sic D. Thom. 2. 2. q. 120. a. 1. *Secunda*: in dubio mentis Legislatoris verba legis accipienda sunt juxta eorum proprietatem, & usitatum intelligentiam: & hoc verum est, sive lex sit odiosa, sive favorabilis; quia nec una restringi, nec alia ampliari debet, plusquam patiuntur verba in propria significatione accepta.

243. *Tertia*: Quando verba legis sunt æquivoca, vel ambigua, materia legis ponderanda est: nam *Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissime accipietur, quæ rei gerendæ aptior est*, l. 66. ff. de Reg. Jur. Etiam explicandus est sensus ex antecedentibus, & consequentibus verbis, & aliis legibus, in quibus verba consimilia reperiuntur. Præcipue hauriri potest sensus legitimus ex proemio, & principio legis, ibi enim apponi solet finis, & causa ob quam fertur. Item ex ratione, qua utitur Legislator, quia ratio in ipsa lege contenta, licet non sit lex, multum confert ad declarandum mentem ejus, rectamque interpretationem.

244. *Quarta*: Lex positiva non semper extendi debet ob paritatem rationis ad casus in ipsa non comprehensos: quia solum obligat ex voluntate illam ferentis, qui potuit velle unum præcipere, & non alterum; aliquando tamen identitas rationis illam ad alios casus extendit. Ut in correlativis, in quibus ob identitatem rationis, dispositum de uno, disponi censetur de alio; ideoque si eximitur vir ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor eximitur ab illa obligatione respectu viri adulteri. Si liberatur sponsa ab obligatione sponsalium ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ, idem debet dici de sponso ob similem absentiam sponsæ: Et idem est de aliis correlativis. Similiter in æquiparatis,

legis, & connexis, & etiam in illis, quæ sub altero continentur. Unde cui conceditur esus carniū, etiam conceditur esus lacticiāiorum. Cui prohibentur ova, & lacticia, etiam carnes prohibentur.

245. *Quinta*: Omnis lex poenalis stricte debet interpretari, nec fieri extensio ad casus in illa non expressos, quamvis forte graviores. Unde censura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, & consulentes, nisi in ea exprimantur; e contra lex favorabilis late est interpretanda, ideoque potest extendi, & accipi etiam in sensu civili, quod non contingit in lege poenali, in qua verba sumi debent in sensu tantum proprio, & naturali.

PUNCTUM IV.

De epikeja.

246. Inq. 1. Quid sit epikeja? R. Epikeja, seu epikia, quæ est emendatio legis, aut exceptio casus particularis, appellatur etiam *æquitas*, quia per quamdam æquitatem in tali casu lex desinit obligare, potestque diffringi; *Justitia misericordie dulcore temperata*. Unde proprie non est justitia, sed virtus dirigens justitiam, & quasi superior regula humanorum actuum, ait D. Thom. *loc. cit. ar. 2. ad 2.*

247. Inq. 2. An locum habeat epikeja in casu conscientie dubie? R. non licere uti epikeja ad deponendam conscientiam dubiam, nec quando dubitatur de lege, etiam si adsit opinio probabilis. In conspectu probabilioris circa causam sufficientem ad eximendum a lege: probatur ex D. Thom. 1. 2. q. 69. ar. 6. ad 2. Ubi docet: *si enim dubium sit, debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere*. Prob. ratione, quia non dubitatur de lege, sed de causa excusante: erg. possidet lex: erg. hæc debet observari.

248. Inq. 3. Quomodo, aut respectu quarum legum habeat locum epikeja? R. Virtutem epikeje habere locum, non solum respectu legis humane, sed etiam aliquarum legum divinarum, & naturalium: quia epikeja locum habet in casu singulari, qui deficit a regula communi

legis; sed a regula communi, nedum legis humane, sed naturalis, & divine possunt plures casus deficere: Erg. tunc locum habet ipsa epikeja. Illustratur exemplis: de jure naturali est non occidere hominem, quem possum tamen occidere, si injuste me occidere tentaverit. Secretum servare, subvenire extreme indigenti sunt de jure naturali, & nihilominus non semper obligant. Item de lege divina positiva judicavit David per epikejam licere sibi comedere panes propositionis in casu necessitatis. Et Machabei putaverunt posse præliari in die sabbathi ob periculum, quod ipsis imminerebat.

249. Ut autem detur locus epikeje non sufficit, quod lex deficiat tantum *negative* in casu particulari; sed debet deficere *contrarie*; ita ut lex reddatur nociva, aut valde onerosa, sive bono communi, ut in exemplo adducto a D. Th. loco citato de præcepto posito in civitate obsessa, prohibente aperire portas illius: nam si plures cives ab hostibus invasi ad eam accederent, liceret portas aperire, ob bonum commune civitatis ex vita civium, qui eam defendere possent. Sive esset damnosa tantum bono particulari: ut in exemplo illius, qui apud me ense depositum, cui possum, & debeo negare depositum, si sciam ipsum illo ab usurum ad me, vel alium innocentem occidendum: ut ait D. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1.

250. Diximus etiam posse uti epikeja, & agere contra verba legis, dum fuerit valde onerosa: quia sicut jugum Christi suave est, & onus ejus leve, debet etiam suavis esse lex, quæ possit sine magna difficultate executioni mandari: erg. dum occurrit casus magno incommodo vestitus, prudenter creditur, nolle Legislatorem illum cum tanto rigore comprehendere: qua ratione leges humane regulariter non obligant cum periculo gravis damni in vita, honore, fortuna, aut re familiari.

CAPUT VI.

De dispensatione legis.

PLura circa dispensationem diversarum obligationum in suis particularibus materiis exponenda sunt, nunc autem solum de dispensatione legum in communi nobis est agendum. Aliqua tamen, quæ ad alios tractatus pertinent, per connectionem doctrinæ obiter saltem silentio præteriri nequeunt.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio dispensationis.

251. Inq. 1. Quid sit dispensatio? R. Dispensatio secundum proprietatem nominis est *justa rerum distributio*: Verumtamen, prout ad præsens attinet, est *Juris alicujus relaxatio facta ab habente legitimam potestatem*. Differt 1. dispensatio ab interpretatione authentica, quia hæc est declaratio legis, illa vero exemptio a lege: differt etiam ab interpretatione doctrinali, quia hæc est actus mentis doctrinæ absque jurisdictione; dispensatio autem est actus jurisdictionis. 2. Differt ab irritatione, quia hæc est actus potestatis dominativæ, illa potestatis legislativæ. 3. Differt a permissione, nam hæc non tollit obligationem, sicut dispensatio. 4. Differt a commutatione, quia hæc subrogat unam obligationem pro alia; illa absolute ab ea liberat. 5. Differt ab absolute, sicut inferius a superiore: omnis enim dispensatio est absolutio, sed non e contra; nam absolutio a peccatis, & censuris non est proprie dispensatio.

252. Sexto, differt a simplici licentia ad operandum, quia agere cum licentia non est contra legem, sed potius observare illam: Unde qui eam concedit, non relaxat legem, ut in dispensatione accidit. 7. Differt a derogatione, & abrogatione: nam derogatio est cessatio partis legis, & abrogatio totius respectu omnium; dispensatio autem est exemptio a lege respectu aliquorum, ipsa manente quoad ceteros in suo robore. 8. Denique differt a privilegio, tum quia hoc non semper est contra jus, sed pluries præ-

Tom. I.

ter jus, tum quia privilegium est ex se permanens; dispensatio vero est semper contra jus, & nullatenus ex natura sua permanens.

253. Inq. 2. Quotplex sit dispensatio? R. Est multiplex. 1. Dividitur in *totalem*, quæ totam auferit legis obligationem; & in *partialem*, quæ solum tollit partem obligationis. 2. dividitur in *prohibitam, necessariam, & permissam*. *Prohibitam* est, quæ illicite conceditur. *Necessaria* est, quando ex negatione magnum oriretur scandalum, vel cum utilitas, vel necessitas valde gravis occurrat. *Permissa* dicitur, cum adest causa sufficiens, sed non adeo urgens, ut absque incommodo prætermitti non valeat. 3. Dividitur in *tacitam, & expressam*: illa est, quæ signis aliquibus exhibetur: ista, quæ verbis, aut signis expressis conceditur. Nulla sunt verba in jure determinata pro dispensatione concedenda, nec requirunt, quod exhibeatur in scriptis, nisi in jure expresse caveatur oppositum.

254. Nota, quod cum dispensatio exorbitet a jure, sitque illius vulneratio, est odiosa; proindeque non extendenda, sed limitanda, & cum omni rigore verba illius debent accipi: Nisi materia sit adeo pia, ut dispensatio reputetur favorabilis. Sed aliud est loqui de potestate dispensandi, aliud de ipsa dispensatione. Potestas enim etiam delegata, cum non sit contra jus, sed favor, & beneficium nulli nocivum, juxta communem sententiam late est interpretanda.

255. Dispensatio tacita, seu virtualis tunc censetur dari, quando superior certus de impedimento præcipit actum, qui sine dispensatione exerceri non potest: Ut si Pontifex sciens Petrum esse irregularem, confert ei beneficium; aut si Episcopus agnoscentes te incurrisse irregularitatem, quam dispensare valet. ad ordines te promoveat, quia non est præsumendum, quod superior velit se, & subditum agere contra legem.

256. Rati habitatio de futuro, seu præsumptio voluntatis non sufficit ad dispensationem tacitam, sed requirunt voluntas præcedens ad actum; quia ad eximendum a lege debet dari voluntas actualis, sicut ad ligandum per legem talis voluntas requiritur; atqui voluntas fu-

Y

tu-